



LIBER TERTIVS,

De Mixtis Imperfectis aqueis.

N hoc libro, quidquid fere in Physica, amœn-
 ius est, pertractatur; dicere tamen aſum, nuſ-
 quam eſſe maiorem amœnitatem cum maiore
 difficultate coniunctam, quod vt fatearis vl-
 tro, amice lector, dico tantum hîc à me oſtendi, ac de-
 monstrari vnde maris æſtus, fontium ſcaturigines, flumi-
 num curſus, aquarum vires ſint; quomodo ros & pluui-
 a concreſcant, nix formetur, gelu indureſcat, grando con-
 geletur, pruina rigeſcat; amœnitatem vides, niſi fallor, ſed
 difficultatem ſentis; quidquid ſit, vnum polliceor, fore
 vt & guſtui oblata amœnitas arrideat, & in complanata
 difficultate, intellectus acquieſcat.

DEFINITIO.

Mixtum imperfectum aqueum eſt, in quo vel elementum aquæ aliis ſenſibiliter prævalere videtur, vel quod in ſtatu corporis liquidi permanere poteſt, citra vim agentis extrinſeci: v. gr. aqua noſtra, & quidquid nomine aquæ appellatur: item nix, grando, glacies, &c.

PROPOS. I.

De Mari.

Aqua maris eſt mixtum imperfectum aqueum: nec enim eſt corpus ſimplex, vt patet, cum reſoluatur; quod autem aqueum ſit, vel ipſum nomen euincit; vnde quoque imperfectum eſſe neceſſe eſt, vt con-

ſtat ex *lib. I.* adde quod aqua maris eſt ſalfa, vt dicam *infra*, & ſal eſt mixtum perfectum, vt *lib. ſequenti* oſtendam; ſed mixti perfecti admixtio, mixtum imperfectum facit, vt conſtat ex dictis *lib. I.*

PROPOS. II.

Mare ſimul cum terra creatum eſt: de mare quod ſit, & quid ſit, quiſquis dubitat, is certè non eſt, quo cum agere Philoſophus aliquis velit; quis enim mare non vidit, aut ab aliis, qui mare viderunt, non accepit: eſt autem mare ingens aquarum collectio, dico ingentem collectionem; ſi enim modica ſit, lacus, non mare dicetur; nec eſt quod Fromondus mare Caſpium lacum potiùs quam mare eſſe dicat, cum vel